



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore
traditæ Explicatio**

Le Gaudier, Antoine

Dilingæ, 1627

Capvt I. De præstantia Orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50280)



DE
ORATIONE
MENTALI.

CAPVT I.

De prestantia Orationis.

ANTA est humanae pau-
pertatis miseria rerumq;
omnium egestas, tanta
hominis ab Optimi Cre-
atoris sui & Gubernatoris munifi-
centissimi Dei liberalitate depen-
dentia; vt nec ipse suum quidquam
habere suis viribus, nec collatas à
Deo opes sua industria vel augere
vel

I M E N T A L I . I

vel retinere possit : sit verò omnino
 necessarium ex eodem ipso fonte
 quo primùm diuina in condendos
 homines beneficentia profluxit, ea-
 dem vt ad eos ornandos continuò
 liberalitatis fluxu decurrat. Et quam-
 quam diuina bonitas plurima in
 hominem vtrò beneficia conferat,
 quia tamen rationis & gratiæ bene-
 ficio, quarum ipse est capax, diuinæ
 quodammodò fit naturæ particeps,
 & eius communionis, quam intelli-
 gens natura cum suo autore vtro
 citroque communicando habere
 potest ; ideo non pauca sunt ad ho-
 minis salutem, perfectionemque
 spectantia quæ nullatenus ei lar-
 giri statuit, nisi ipse homo se à
 terrenæ conuersationis humilitate,
 rerumque infimarum tractatione
 erigens ad Deum mentem propiùs
 admoueat, cum eo familiariter agat,
 & de suis rebus communicet, vt
 dum omnibus officiis se diuinæ ma-
 iestati

2 DE ORATIONE

i: statim orando subiicit, dum suam
inopiam & omnium bonorum ege-
statem aperit, flectat oratio pieta-
tem, quam sæpe, nec nuda obse-
quia ad liberalitatem, nec sola sine
humili prece miseria ad misericor-
diam commoueret. Quia in re singu-
laris Dei tum bonitas, tum sapien-
tia elucet: & sapientia quidem,
quod ut hominem & suæ utilitatis
cupidissimum, & sui honoris aman-
tissimum, & detineret spe quæstus, &
alliceret specie dignitatis; ita hæc
duo permiscuit, ut ad orationem
præstantissimam hominis actionem
& prope diuinam occupationem, in
qua vitæ huius beatitas est posita,
summam non modò utilitatem, sed
etiam necessitatem adnecteret; &
eamdem etiam summè per se utilem
& necessariam. summa quoque no-
bilitate ac dignitate cohonestaret.
Quid quæso, ô homo, ad tuam digni-
tatem splendidius dici aut excogita-
ri

ri potest, quàm quod ideo factus sis
 homo, vt cum factore familiariter
 verferis? Vt tuum creatorem tua
 conuersatione delectes pariter
 & honores, atque ita beatiùs vi-
 uas? Quid tibi etiam cum terræ regi-
 bus, abiectissimis vermiculis cui a-
 micitia cum Deo tanta, tamque fa-
 miliaris ac syncera intercedere, si
 velis, potest? *Reputemus*, inquit San-
 ctus Chrysostomus, *l. i. de Orando*
Deo; honoris magnitudinem, quòd
Deus nos tanta ac tali sua cura digna-
tus sit, vt assidue diuino colloquio frui
liceat, per quod etiam illud assequi-
mur, vt & mortales, & temporarii es-
se desinamus; natura quidem morta-
les, sed colloquio conuictiq, quem a-
gimus cum Deo ad immortalẽ vi-
ram transeuntes: necesse est enim, vt
qui cum Deo familiaritatem habet,
superior euadat & morte. & omnibus
quæ corruptioni sunt obnoxia: sicut
fieri non potest vt qui solis radiis frui-
 tur

4 DE ORATIONE

rum nonne fugiat tenebras. Et verò be-
nignitas Dei quæ maior esse potuit,
quàm quod vt ad obiectam oratio-
nis utilitatem, imò & impositam,
necessitatem, eiusdemque propofi-
tam dignitatem hominum volunta-
tes accenderet, summam quoque ei
iucunditatem & oblectationem ad-
sperfit, vt quos nec suæ dignitatis
ratio, nec suorum commodorum,
cupiditas, nec suæ sensus pauperta-
tis tangeret, eos saltem tam in aliis
rebus potens voluptatis illecebra ad
degustandas orationis delicias de-
mulceret? Vide vt his omnibus con-
ditam orationem Diuus Augustinus
proponit dignitate, utilitate, iucun-
cunditate, lib. de miser. operib. Quid
est, inquit, Oratione pulchrius? quid
vite nostra utilius? quid anima dul-
cius? quid in tota religione nostra sub-
limius?

CAPVT